

cibus impertiretur, qua sententiam dicerent, et ad effectum *servatis servandis* perducerent. Hanc tamen dispositionem non amplius in vigore manere, sanxit nuper citata Reg. ordinat. 17 Oct. 1855.\*

## TITULUS II.

### DE DELICTIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. QUID DELICTUM, QUID PECCATUM?—2. PECCATUM UNIUS ECCLESIE POTESTATI SUBJECTUM.—3. DELICTA ECCLESIASTICA.—4. CIVILIA.—5. MIXTA.—6. CUI MIXTORUM CRIMINUM JUDICIUM COMPETAT?

1.

**C**RIMINALIUM judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1): libera, et voluntaria actio, vel omissio, contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab Ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra, non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis; ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur (2).

(1) Romani Jurisconsulti *privata* delicta à *publicis* criminibus distinguebant; horum accusationes cuivis è populo à lege committebantur; illa autem non nisi privatis partium querelis in judicium deferbantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicta appellantur, nomina describit Renazzius Inst. criminis l. 1 c. 1 § 4.

(2) S. Augustinus in can. 1 dist. 81 peccatum à crimine ita distinguit, exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: « Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave, accusatione, et damnatione dignissimum. » Et S. Thomas lect. 2 comm. in Ep. ad Titum, « Aliud, inquit, est crimen, et aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, et infame. »

2. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare et crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam,

subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; et hoc quidem judicium exercet Ecclesia in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesia pœnis, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesia tam de crimine, quam de peccato judicat, et in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 28.

3. Nam crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem, et religionem, resque omnes divinas, et sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive à clericis, sive à laicis patrata fuerint.

4. Civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem, et pœnitentiæ: qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cetera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum à clericis admissa sunt, propter jus, quod Ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur. Nos de his criminibus non agemus, quoniam eorum tractatio propria est eorum, qui jus civilis reipublicæ persequuntur.

5. Mixta demum crimina sunt, quæ simul et religionem lædunt, et civili reipublicæ damnum, atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, *blasphemia* non hæreticalis, sortilegium, delicta venerea, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesiæ, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant, et utraque in his criminibus partem suam curare, et tueri debet. Quare Ecclesia pœnas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis respublica de iis, quæ ad læsam hominum societatem pertinent. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati, et imperio subjecta non sunt.

6. Sed alicubi in hæc crimina animadversio committitur mixtis tribunalibus, quæ scilicet ex Magistratibus ecclesiasticis, laicisque constant, alicubi mos est, ut mixtas has causas definiat unus iudex; sive ille laicus, sive ecclesiasticus sit, qui scilicet prior negotium occupavit. Verum id factum fuit tacito, aut expresso convento, et cum legitima auctoritate; ne qua rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex iudicium, et duplicem pœnam perferre cogereetur. Ecclesia igitur sibi uni reservavit interioris fori iudicium, potestatem autem fori exterioris etiam civili reipublicæ permisit, si ipsa primum de his criminibus iudicium institueret.

(N. S. Gravissima inter viros doctos jamdiu agitata quæstio, nec adhuc definita ea est; nimirum, quænam antiquitus ecclesiastica crimina fuerint, eo scilicet intuitu, quo censuris, aliisque ecclesiasticis pœnis puniri consueverint. Alii quidem existimant, ejusmodi crimina nonnisi tria fuisse, Idololatriam, Homicidium, et Mœchiam; atque his, aliisque præcipuis, quæ ad hæc tria reduci possunt, veterem omnem de censuris, publicaque pœnitentia disciplinam adstringunt: Nat. Alex. Hist. Eccles. 3. Sæc. Diss. 6 q. 1; eo præsertim innixi fundamento, quod veteres Patres et Episcopi, tum in Synodis sancitis Canonibus, tum in suis operibus, crimina Judiciariæ Ecclesiæ potestati subjecta recensentes, nonnisi horum meminisse videantur.

At contra alii antiquam Ecclesiæ disciplinam hoc in capite ad omnia grandia crimina extendunt, quæ contra universum Decalogum, sive Divinam moralem legem committuntur; quam sententiam tum pluribus argumentis firmatam contendunt, tum vel maxime Augustini auctoritate *Homil. ult. ex L. cap. 3*, ubi tum eorum rejicit opinionem, qui censebant, tria tantummodo crimina mortifera esse excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur; impudicitiam, idololatriam, homicidium: tum paucis interjectis hæc habet: Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogum continet: et de quibus Apostolus ait: *Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.*

Animadvertere juvat, quod alibi jam indicavimus, scilicet ad sæculum usque XII nullam in Ecclesia distinctionem agnitam fori interni ab externo: unde per ea tempora, tametsi Episcopi in omnia, sive publica, sive occulta, non Clericorum modo, verum et Laicorum crimina inquirerent, atque in delinquentes veluti processus conficerent, testes audiendo, sententiam pronuntiando, ac legitimam pœnam imponendo; hæc tamen omnia non peragebant, nisi respectu habito ad forum spirituale, sive Sacramentum Pœnitentiæ, uti late ostendit Morinus *de Administr. Sacr. Pœnitentiæ*, lib. 1, cap. 9, et 10. — V. Cl. Auct. istius lib. tit. 1 §. 2 not. 4; ubi J. Morini sententia, cui Selvagnus hic et alibi adhærere videtur rejicitur. —

Et sane 1 omnes Ecclesiasticæ pœnæ per ea tempora non ad vindictam imponebantur, sed unice ad ipsius peccatoris cum Deo reconciliationem. 2 Non aliud erat tribunal, in quo censura ligatus exsolvebatur, et pœnitens à peccato absolvebatur, sed unus, idemque Episcopus, vel Presbyter utrumque simul præstabat. Et licet 3 circa sæculum VII disciplina invaluerit, ut publica crimina Episcopis, eorumve specialibus Delegatis reservata essent, occulta vero quibuslibet Presbyteris: unde veluti forum externum ab inter-

no distinctum, inductum tunc temporis videretur; adhuc tamen omnia ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, peccatorumque reconciliationem unice pertinebant. Neque 4 per eadem tempora distinctio occurrit inter delicta mere Ecclesiastica, et Civilia; ita ut de illis in foro interno, de istis vero in externo Episcopus cognosceret: sed in utraque æque inquirebat, in delinquentes legitimis pœnis animadvertendo, ad eorundem emendationem, et publici scandali averruncationem. Unde 5 quod quis in foro sæculari de aliquo crimine convictus, civili pœna multatus esset, id impedimento non erat, cur ab Episcopo ecclesiasticis pœnis non puniretur: quum non unus, idemque fori Ecclesiastici, et Civiles finis esset. Vetus enim Ecclesiæ disciplina Pœnitentiam ut medicinam considerabat, peccatorem ut agrotum: quem Episcopi punitum quidem propter crimen pœna Civili censebant, non autem sanctum. Christiana tantum pœnitentia cum vere sanare, ac vulnera per peccatum inflata obducere credebatur. Videsis Morinum *ibidem*, et lib. 7 cap. 5.

Jam vero circa sæculum XII inducto fori interni ab externo, et contentioso discrimine, strepituque forensi in Episcopale tribunal inducto, ob generalem illam modo explicatam Episcoporum in omnia crimina jurisdictionem, omnes etiam Civiles Laicorum causas, in quibus de peccato aliqua videretur esse quæstio, ad suum contentiosum forum Episcopi pertrahere aggressi sunt: cap. 15 *de Judiciis*, et quidem ea ratione, quam in *idem Caput* indicat Glossa: scilicet: *Tantum ratione peccati, et inducendo ad pœnitentiam.*

Quum vero temporis progressu in Tribunali Ecclesiastico de criminibus, non amplius ratione Sacramentali, ab Episcopis, vel eorum Officialibus cognosceretur, neque pœnæ canonicæ per modum medicinæ spiritualis infligerentur, sed methodo omnino forensi, et ad vindictam pecuniariam, vel corporalem; hinc pedetentim à Principibus sæcularibus ejusmodi recens inducta Episcopalis jurisdictio decurtata est, scilicet, ut reservata Foro Ecclesiastico Sacramentali peccati confessione, et absolutione à Sacerdote virtute clavium obtinenda; tum et Clericorum causis, marisque etiam Laicorum Ecclesiasticis delictis foro Episcopali attributis, reliquæ civiles, ac criminales Laicorum causæ, atque etiam pecuniaria quædam Clericorum delicta, foro sæculi adscripta sint.

Igitur ex nova Ecclesiæ disciplina, crimina trifariam dispescuntur, scilicet ut alia sint mere Ecclesiastica, alia Civilia, et alia Mixta. Primi generis sunt, quæ admittuntur contra Fidem, Religionem, Sacramenta, easque morum regulas, quas jus civile non curat; uti Hæresis, Apostasia, Schisma, Profanatio Sacramentorum etc. Civilia sunt, quæ adficiunt Remp.: uti Homicidium, Furtum, Rapina etc. Mixta vero, quæ tam Religionem, quam Remp. offendunt: uti Sacrilegium, Adulterium, Blasfemia non hæreticalis etc. Porro Ecclesiasticorum criminum solus Ecclesiasticus Iudex cognitionem habet, civilem Iudex civilis, mixtorum vero uterque per præventionem: cap. 3 *de Foro Competenti*. Ad Hispaniam quantum attinet, ex leg. 58 tit. 5 *Part. 1*, crimina, quorum spectat ad Ecclesiam cognitio, sunt Hæresis, Usura, Simonia, Perjurium, Adulterium, Sacrilegium. Hæresis itaque, simonia, et adulterium, in quantum est causa divortii, sunt juris prorsus Ecclesiastici; atque hæresis, ejusque species ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal pertinet: reliqua, scilicet, usura, perjurium, sacrilegium, adulterium in se spectatum, et concubinatus, sunt utriusque Foro communia: adeoque mixti fori, unde colligas, Ecclesiam in externo Foro de nullo alio dijudicare posse crimine, neque aliter intelligi posse cap. 10 *de Judiciis*. Hic animadvertere non abs

re erit, quod si iudice sæculari de aliquo sui juris delicto cognoscente, ali-  
quod mere spirituale inciderit, moribus invecum sit, ut processus, et reus  
Ecclesiastici iudicis potestati tradantur, ut postquam de crimine Ecclesiastico  
cognoverit, priori sæculari iudici processus, et reus remittantur, ut de prin-  
cipali cognoscat.)

TITULUS III.

DE APOSTASIA.

1. APOSTASIA QUID? — 2 ET 3. EX APOSTATIS ALII AD JUDEOS, ALII AD ETHNICOS  
TRANSIBANT. ILLORUM TRIPLEX GENUS. — 4. EX ILLIS, QUI AD ETHNICOS ABIBANT, ALII  
THURIFICATI, ALII SACRIFICATI, ALII LIBELLATICI — 5 ET 6. LIBELLATICORUM MULTÆ  
SPECIES. — 7. QUI PROXIME AD APOSTATAS ACCEDERENT? — 8. APOSTATARUM PŒNÆ —  
9. REGULARES DESERENTES INSTITUTUM SUUM, APOSTATE; ET PŒNÆ IN EOS CONSTI-  
TUTE. — 10. EPISCOPI OFFICIUM IN APOSTATAS REGULARES. — 11. CLERICI QUOMODO  
APOSTATE FIANT, ET QUIBUS PŒNIS SUBJICIANTUR?

**A**POSTASIA græcum est nomen, quod latine significat *defectio-*  
*nem*, et apostatæ sunt, qui penitus à christiana religione per  
baptismum suscepta defecerunt. Ut vero quis apostata habeatur,  
sufficit, quod Christianam religionem deseruerit, quamquam ad  
aliam non transierit. Nam et ii, qui abjecta christiana religione  
alhei facti sunt, apostatæ habentur, quamquam nulla ipsis religio  
sit, quam sequantur. Latiore sensu inter apostatas recensebantur  
etiam Catechumeni, qui catechesim deserentes, ad deorum tem-  
pla transibant (1), quamquam baptizatorum apostasia deterior,  
quam catechumenorum haberetur. Certe ii, quos manuum impo-  
sitione, certisque precibus inter catechumenos Ecclesia retule-  
rat, generale Christianorum nomen obtinebant (2), et in multis  
quidem rebus tamquam christiani censebantur.

(1) L. 2 cod. Theodos. de Apostas.  
(2) Confer canonem 59. Concilii Eliberitani, can. 7. Concilii Constanti-  
nopolitani I., et can. 95. Concilii Trullani, quorum omnium feci mentionem  
lib. 2 t. 2 sect. 1 § 50 not. 2 p. 54.

2. Prioribus Ecclesiæ sæculis ex apostatis alii erant, qui  
Judæorum, et alii, qui Ethnicorum sacra amplectebantur. Illo-  
rum triplex erat genus. Unum eorum, qui prorsus abjecta chris-  
tiana religione, ad judaicam accedebant, et hi proprie apostatæ  
erant; ex quorum numero fuit Aquila, interpret Bibliorum, qui  
cum ab Ecclesia ejectus fuisset propter studium astrologiæ, mi-

gravit ad Hebræos, et novam Bibliorum versionem Christianis  
infensissimam evulgavit (1). Plures quoque hujusmodi erant  
ætate Barchochabæ, qui multos Christianos Christum ejurare, et  
maledictis insectari coegit (2).

(1) Epiphanius de Pond. et mens. n. 15 t. 2 p. 171 ed. Coloniae 1682.  
(2) Justinus Mar. Apolog. 1 n. 31 p. 62 ed. Paris. 1742.

3. Alterum genus erat eorum, qui Christianam religionem  
non penitus abjiciebant, sed cum ea judaicam commiscebant,  
atque ita novam quamdam efficiebant religionem. Hujusmodi  
erant Cælicolæ, qui circumcisionem cum baptismo conjungebant,  
in quos gravissime civilibus quoque legibus animadvertitur (1).  
Alii denique erant, qui non prorsus ad judaicam religionem  
transibant, neque aliquid ejus dogma amplectebantur, sed in  
remotioribus quibusdam ritibus, et consuetudinibus Judæis adbæ-  
rebant, atque ita, horum more, in Sabbato otiantur, cum iis  
cibum sumebant, vel jejunabant, eosque consulebant ad reci-  
pienda philacteria, et amuleta pro morbis depellendis (2), quam  
artem Judæi sese ex commentitiis quibusdam Salomonis libris  
accepisse ferebant (3).

(1) L. 45 Cod. Theod. de Hæretic. Ad genus horum apostatarum spec-  
tant Cerinthiani, Ebionæi, Nazaræi, Eleesæi, Samsæi, quos memorat Au-  
gustinus de Hæres. e. 8, 9, 10, 52, opp. t. 3 col. 7 et 11 ed. Ven. 1753, si-  
militer ii, qui se Hypsiastatios vocabant, de quibus agit Gregorius Nazian-  
zenus orat. 19 in Funer. patr. n. 5 opp. t. 1 p. 239 ed. Coloniae 1690.

(2) Canon Apostolorum 62 al. 70 apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 1  
p. 451 ed. Amstelædami 1724. Concilium Laodicenum can. 29 et 57 apud Lab-  
bæum t. 1. Concil. col. 1555 et 1558, Eliberitanum can. 49 et 50 t. 1 col. 998,  
Agathense can. 40. t. 3 col. 523, Veneticum can. 12 t. 5 col. 81, Epaonense  
can. 15 t. 15 col. 715, Matisconense I. can. 15 t. 6 col. 66, Arvenense can. 6  
t. 5 col. 950, Aurelianense III. Can. 45 t. 5 col. 1278 ed. Ven., Chrisosto-  
mus Orat. 1 Contr. Judæos n. 1 opp. t. 1 p. 538, Orat. 5. In eos qui pascha  
jejun. per totum pag. 606, et Orat. 2. In eos qui cum Judæis jejun. p. 601  
ed. Montfauconii Paris.

(3) Confer Josephum Antiquit. 1. 8 c. 2 p. 419 ed. Havercampi Amstelæ-  
dam. 1726, et Originem Tract. 17 in Mat. opp. t. 5 p. 767 ed. Paris. 1740.

4. Ex illis, qui ad ethnicos abibant, alii sponte sua, et alii  
vi, ac pœnarum metu perterriti, Christianam religionem desere-  
bant. Hi proprie *lapsi* dicebantur; et eorum alii erant *Thurifi-*  
*cati*, alii *Sacrificati*, alii *Libellatici* (1). *Thurificati* dicebantur,  
qui thus idolis adoleverant; *sacrificati*, qui immundis sacrificiis  
*ora maculaverant* (2), hoc est, in templo præsertim carnes come-

derant hostiarum, quæ diis immolatae fuerant, quod idolatriæ argumentum erat. Sed non eadem prorsus erat omnium *thurificatorum*, et *sacrificatorum* ratio. Nam gravius censebatur crimen eorum, qui læti, ac pretiosis induti vestibus, primoque impetu fracti, quam eorum, qui mæsti, ac longioribus victi tormentis, Christum deseruissent.

(1) Horum crebra mentio est apud Cyprianum ut in Ep. 20 al. 15 ad Cler. Roman. et Ep. 55 al. 52 ad Antonian. p. 199 et 241 ed. Amstelædami 1700.

(2) Ita loquitur Cyprianus cit. Ep. ad Cler. Roman.

5. *Libellatici* erant, qui nec thure, nec sacrificio à Christo deficiebant, sed tamen religionem ejurabant libellis, quos vel ethnicis magistratibus dabant, vel ab iis accipiebant, ne publice sacrificia facere cogerebantur. Triplex eorum genus fuisse, plerique sentiunt (1). Alii nimirum magistratibus se non esse Christianos diserte afirmabant, religionem suam verbis, scriptove negantes, atque agentes, se paratos esse ad sacrificium faciendum, cum à magistratu vocarentur (2). Alii nec Christum ejurabant, neque ipsi libellum dabant; sed vel amicum ethnicum, vel servum militebant, ut idolis hostiam immolaret, vel fidem abnegaret, atque ita libellum à magistratu impetrarent; quasi ipsi fecissent, quod ab aliis factum fuerat. Hos Ecclesia comparabat prioribus libellaticis, qui per se ipsos crimen admiserant (3).

(1) Baronius, ad an. 253, n. 18 et seq. t. 2 p. 580 ed. Lucæ, unum tantum *libellaticorum* genus facit; sed alia plerisque viris doctis, qui triplex illorum genus distinguunt, sententia est. Confer Alhaspinæm Observ. l. 4 cap. 21 p. 54 ed. Neap. 1770; et Binghamum Origin. eccles. l. 16 c. 4 §. 6 t. 7 p. 202 et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1761.

(2) Cyprianus de Lapsis p. 95 ed. cit., hos eodem loco habet, atque illos, qui revera sacrificium fecerant. Vide etiam *Epistolam Cleri Romani* ad Cyprianum, inter Cyprian. Ep. 50 p. 210.

(3) Confer *laudatam epistolam Cleri Romani ad Cyprianum*. Canones Petri Alexandrini, can. 6 apud Beveregium Pandect. Can. t. 2 p. 12 edit. Oxonii, hos quoque libellaticos memorant, usque pœnam imponunt; sed tamen discrimen constituunt inter dominum, qui servum miserat, interque ipsum servum, qui jussus rem illam egerat.

6. Denique alii erant, qui cum magistratus iram pecunia, et muneribus extingui posse intelligerent, ipsum adibant, et se Christianos esse, neque idolis thus adolere, aut hostiam immolare posse, aperte profitebantur; sed tamen data pecunia libellum immunitatis impetrabant. Hi non erant proprie apostasie

rei; sed culpa non vacabant, quod in libello diceretur, eos jussu magistratus sacrificium fecisse (1). Ab his non procul aberant, qui se amentes fingebant, ut sacrificium declinarent, quique ad aram ipsam accedentes, sese epilepticos esse simulabant, ne sacrificare cogerebantur. Hujus criminis rei pœnam serebant simulationis indignæ homine Christiano, qui turpi animi abiectione videtur prodere religionem, quam præseferre debet (2).

(1) Confer Cyprianum Ep. 55 ad Anton. p. 245 ed. cit.

(2) Vide Petrum Alexandrinum can. 5 p. 12 l. c. Ad hunc autem locum referenda est Constitutio *Inter omnigenas* 89. Benedicti XIV, t. 1 ejus Bullar. p. 185 ed. Ven., edita adversus eos, qui Christianam fidem in corde retinent, sed tamen eam prodere videntur externis quibusdam ritibus, per quos infideles distinguuntur. Plures enim Christiani in Turcarum imperio vitam agentes, religionem simulabant, atque ut Turcæ viderentur, eorumque juri- bus ac privilegiis frui possent, eorum templa frequentabant, ecclesiasticum jejunium cum esu carniū violabant, matrimonia coram eorum judice, quem appellant *Cadi*, celebrabant. Sancivit Pontifex, ne quis tale aliquid faciat ut Turcæ habeatur; secus, ei, tum in vita, tum in morte sacramenta denegari voluit. Similiter in regionibus Albanicæ aliqui Christiani, ut multa onera, et incommoda declinarent, nomen aliquod suscipiebant, quod proprium Turcarum est, et quo Turcæ à ceteris distinguuntur. Id etiam fieri vetuit ipse Benedictus XIV, Const. *Quod provinciale concilium*, 57 p. 155 tom. 4 ejus Bullar.; quia tametsi fides animo retineatur, illa tamen fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria, quæ mendacium in re gravissima continet, et virtutalem fidei negationem, maxima eum Dei injuria proximique scandalo includit. Quæsitum quoque est, num ii, qui ad Turcæ desciverunt, ac postea redierunt ad Christianam religionem, non solum Christianis, sed etiam Turcis præsentibus, publicæ et expresse apostasiam ejurare debeant; et responsum est à Congregatione Sac. Inquisitionis, apud Card. Albitium de Inconstant. in fid. c. 8 n. 29, eos non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus; sed sufficere, ut eam abjurerent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis. Confer Benedictum XIV, de Synod. diœces. c. 20 n. 8 et seq.

7. Proxime ad apostatas accedebant, et tamquam religionis proditores habebantur, qui supersticiosos ethnicorum ritus adjuvabant, vel imitabantur. Hujusmodi erant ii, qui sacrificantium coronam gestabant (1), et qui Flaminis, hoc est ethnici sacerdotis munus suscepissent; quoniam Flaminis erat populo exhibere ludos, et spectacula, quæ plena superstitionis erant, atque in honorem deorum edebantur. Similiter scenici, histriones, aurigæ, qui currus in publicis spectaculis agitabant, qui victimas, aut thus pro sacrificio vendebant, idolorum artifices, qui deorum aras ædificabant, vel ornabant, idolatriæ favere, adjuvatoresque esse videbantur (2).

(1) Confer Concilium Eliberitanum can. 55, ibique Albaspineum in Not. p. 180 ed. Neap. 1770.

(2) Late de his omnibus agunt Binghamus Orig. eccles. l. 16 c. 4 §. 8 et seq. t. 7 p. 206 et seq. ed. cit., et Selvagius Antiq. Christian l. 4 c. 5 §. 3 seq.

8. Ex veteri disciplina apostatæ, qui vere idololatriæ rei erant, non solum ab Ecclesia ejiciebantur, sed etiam in quibusdam Ecclesiis excluderentur à venia, et absolutione, quam tantum in vitæ exitu impetrabant (1). Quin alicubi ea erat disciplinæ severitas, ut etiam in exitu vitæ reconciliatio denegaretur idolatriæ reis, quibus spes omnis in una Dei misericordia relinquebatur. Sed postea dari cœpit venia, etiam antequam mortis periculum immineret; atque iis imposita pœnitentia, quæ brevior, aut longior erat pro gravitate criminis, et adjunctis, quæ illud comitabantur.

(1) Confer quæ ea de re dixi l. 2 sec. 4 §. 87, et not. 6, 7, 8, p. 410 et seqq.

(N. S. Civili jure, Apostata iisdem ac hæreticus pœnis subjacet: leg. 4 tit. 25 Partitæ VII; legg. 1 et 3 tit. 5 lib. 12 Novis. Compilat.)

V. tit. proxime seq.

9. Apostatæ dicuntur etiam Regulares, qui temere deserunt institutum, cui se solemnibus emissis votis addixerant, et clerici, qui à clericali statu deficiunt (1). Qui regulare institutum deseruerunt, statim arcentur à sacris, et communione Christianorum (2), præsertim si habitum etiam dimiserint (3), amittunt privilegia instituti, unde discesserunt (4), susceptorum ordinum munera exercere prohibentur. (5) Sunt et aliæ pœnæ adversus apostatas inductæ peculiaribus institutis, et legibus Ordinum Regularium, quales sunt carceris, jejunii, similes; præterea neque ipsi alios eligere ad prælaturas, neque ab aliis eligi possunt.

(1) Concilium Chalcedonense can. 7 apud Labbeum t. 4 col. 1685 ed. Venet., Eos, inquit, qui in clero semel ordinati sunt, et etidem monachos, statim nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, et non, pœnitentia ducti, ad id revertantur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari. Similia habent S. Leo M. Ep. 167 ad Rustic. resp. 14 opp. t. 1 col. 1426 ed. Bakeri. Ven., S. Augustinus in Psal. 85 n. 4 col. 101 et in Psalm. 99 n. 12 col. 565 opp. t. 6 ed. Ven. 1761, Concilium Arelatense II, in can. ult. dist. 50, Toletanum VI. in can. 2 c. 20 qu. 5, Turonense in cap. 5. Ne cleric. vel monach. et Alexand. III. in cap. 1 de Apostat. Ille autem revera apostata habetur, qui re-

gulare institutum temere deserit, certoque, ac deliberato animo ab eo discedendi: non item qui cum legitima venia discedit, aut qui non prorsus regularis vitæ propositum abiecit. Plures hiæ oriuntur quæstiones de iis, qui à religione discesserunt, sed tamen habitum adhuc retinent; itemque de iis, qui sine venia superioris institutum suum deseruerunt, ut laxiorem, arctioremve regulam amplectantur. De his omnibus agit Theophilus Raynaudus de Apostat. à relig. ordin. opp. t. 17 p. 5 et seq. Verum Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum an. 1624 sancivit, ut fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deserant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac superioribus regulariis consignari, secundum regularia instituta poniendi. Ex quo patet, apostatas habendos esse regulares, qui venia à superiore non impetrata, à claustris discesserunt, atque extra ea temere vagantur, sive habitum gerant, sive deseruerint, sive redeundi ad religionem animum habeant, sive prorsus abiecerint. Quin etiam, ut animadverti l. 1 tit. 9 §. 15 p. 349, à Concilio Tridentino c. 4 et 19 de Regular. Sess. 25, à Benedicto XIV. Const. Si datam 47 p. 237 t. 1 ejus Bullar. ed. Ven. 1754, sancitum est, ut tamquam apostatæ habeantur Regulares, qui suo arbitrio habitum deserunt, atque à claustris monasterii discedunt, ut professionis nullitatem proponant, aut eant ad sui ordinis superiores. Eodemque habentur loco, qui post unicam de nullitate professionis latam sententiam, etiam non interposita appellatione, habitum abiecerunt, quoniam hoc negotium duabus saltem sententiis expediendum est. Benedicto XIV. Const. Si datam 47 §. Quemadmodum t. 2 ejus Bullar. p. 258 ed. Rom. seu Ven. 1754. Pertinet etiam ad hunc locum Constitutio Licet sacra 112 Benedicti XIII, t. 12. Bullarii p. 70, et Constitutio Pastor bonus 95 §. 55. Benedicti XIV, t. 1 ejus Bullar. p. 198 ed. Ven. Consule Benedictum XIV, de Synod. diæces. l. 13 c. 11 n. 11, et Girardum Expos. jur. Pontif. par. 2 sect. 157 p. 1029; ubi etiam habes constitutiones eadem de re editas à Sixto V. et à Clemente VIII.

(2) Cap. 2. Ne cleric. vel monach. in 6.

(3) Regularem, qui religionem deseruit, non tamen habitum dimisit, haberi quidem ut apostatam, et fugitivum, sed non ipso facto in pœnam excommunicationis incidere, præter ceteros, tradit Pirhingius Jure canon. l. 5 tit. 50 §. 7.

(4) Concilium Tridentinum Sess. 25 de Regul. c. 19.

(5) C. 6 de Apostat.

10. Episcopus in carceres conjiciendos curat apostatas, qui in sua diœcesi commorantur, eosque, ut meritis plectantur pœnis, tradit regularibus Superioribus (1); sed hi quoque debent eosdem perquirere, ac dare operam diligentem, ut redeant ad bonam frugem, ac per canonicas pœnitentias crimen expiare possint (2). At illud in primis Episcopi est apostatam monere, ut sua sponte redeat ad religionem, unde discessit; quod cum ipse præstiterit, et apostata monitis obtemperavit, Regulares superiores ab Episcopo rogati, jussique à Sede Apostolica, abstinere se debent à pœnis asperioribus, quæ sunt in apostatas constitutæ (3). Sæpe etiam Sedes Apostolica spatium temporis elargitur, quo apostatæ

resipiscant, et eos ad se ultro venientes recipit, pœnasque temperat, quibus in illos jure animadvertere oporteret (4).

(1) Confer decretum editum à Congregatione Concilii die 21 Septembr. an. 1624, et approbatum ab Urbano VIII. §. 4, ac vide etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 5 tit. 51 sect. 556 p. 548.

(2) Cap. 24 de Regular. Vetus autem hæc est regula, et Gregorio IX antiquior, sicuti ostendit Hæstenus *Disquisit. monastic.* p. 2 l. 8 trac. 4 disp. 8.

(3) Consule Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 15 c. 41 n. 11 et 12. Quin etiam anno jubilei Regulares apostatæ, qui sponte redeunt ad Religionem, quam deseruerunt, cunctis soluti pœnis à Sede Apostolica veniam impetrant, modo à Regulari Superiore absolutionem petant, et culpam fateantur suam, atque emendationem polliceantur. Benedictus XIV, Const. *Pastoris*, 25 §. 1 l. 5 ejus Bullar. p. 150 ed. cit.

(4) Benedictus XIV. Const. *Pastor bonus* 95 §. 55 t. 4 ejus Bullar. p. 198 ed. cit.

11. Clerici etiam, qui suo relicto ordine, et habitu, à clericalis vitæ instituto deficiunt, et quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur (1). Hi plectuntur pœna excommunicationis (2), fiunt infames (3), et irregulares (4), amittunt privilegia clericatus (5), et frustra moniti ab Episcopo in carceres conjiciendi sunt (6).

(1) Minores clerici, qui beneficium non habent, apostatæ non fiunt, ut omnes sentiunt; quoniam suo lubitu clericalis vitæ institutum deserere, et nuptias inire possunt. Sed num clerici minores, qui beneficium habent, incidant in apostasiam saltem latius acceptam, disputant Pirhingius Jus Can. l. 5 tit. 9 n. 4, et Schmier par. 2 de Delict. c. 5 n. 75.

(2) Quæ excommunicatio *latæ sententiæ* est, si clericus apostata matrimonium contraxerit: Clem. unic. de Consanguinit. Atque hæc quidem pœna contra apostatas, qui clericatum, aut regulare institutum deseruerunt, sane vetus est. eaque jam constituta à Concilio Chalcedonensi can. 7, quem describit Gratianus can. 5 Caus. 20 qu. 5.

(3) Can. 25 Caus. 2 qu. 7, et can. 2 Caus. 5 qu. 4.

(4) Irregularitas hæc oritur ex infamia, nisi apostata matrimonium contraxerit, quia tunc ob bigamiam similitudinariam irregularis fieret: c. 4 et 7 de Bigam. non ordin.

(5) Cap. 25 et 25 de Senten. excom.

(6) C. 5 de Apostat.

(N. S. Jure antiquo, Clerici propriam deserentes Ecclesiam, *Apostatæ* habebantur, unde in ipsos excommunicationis pœna infligebatur, ut in Syn. Tolet. I can. 12, Tolet. II can. 2, Valent. Can. 5; vel etiam depositionis, et detrusionis in Monasterium, ut in Syn. Hispal. II can. 3, atque etiam in Episcopos, qui eos inscio proprio Episcopo suscepissent: Syn. Tolet. II eod. can. 2, Hispal. II laud. can. 3, et Tolet. XII can. 11. Hodierno tamen jure illi proprie dicuntur *Apostatæ*, qui in Sacris Ordinibus constituti, habitu, et tonsura dimissis, vel matrimonium contrahunt, vel ad militiam convertuntur,

si quidem amittunt privilegium Canonis: cap. 23 de Sent. Excomm.; et si matrimonium contraxerint, eo ipso excommunicati redduntur. *Clement. un. de Consanguin. et affinit.*, et fiunt infames, et inhabiles ad Beneficia: *Clement. 2 de Vita, et honest. Cleric.*

In Hispania, Monachos utriusque sexus, qui abjeto pœnitentium habitu, ad sæculum revertebantur, anathematis sententia feriendos, voluit Synod. Tolet. IV can. 55 alias 54; et Tolet. VI can. 6, ita de Christianorum cœtu eliminandos decrevit, *ut nec locutio cum eis ulla esset communis*. De eo autem, qui Monachum desertorem receptaret, ita Syn. Tolet. XIII can. 11: *Ut vere sacrilegus, et transgressor institutionis Paternæ, tanto tempore excommunicatum, et remotum se à suis officiis noverit esse, quanto eum, qui fugit, sub sua potestate contigerit remorasse.*

### TITULUS IV.

#### DE HERESI.

1. HERESIS QUID?—2. CATHOLICÆ ECCLESIE FIDEM SEQUI OMNES DEBENT.—3 AD 6. JUDICIUM ECCLESIE, ET SUMMI PONTIFICIS IN REBUS FIDEI UTRUMQUE ERRORI SUBESSE NON POTEST.—7. HÆRETICUS ETIAM QUI SCIENS PRUDENS IN FIDE DUBITAT.—8. SUSPECTUS DE HERESI.—9. HÆRETICORUM PŒNÆ AB ECCLESIA CONSTITUTÆ.—10. PŒNÆ IN CLERICOS, QUI IN HERESIM INCIDENT.—11. PŒNÆ INDUCTÆ A JURE CIVILI.—12. HÆRETICI AD CATHOLICAM ECCLESIAM REDEUNTES.—13. ANTIQUA DE HIS ECCLESIE DISCIPLINA.

1.

**H**ERESIS Græcis, Latinis est *secta*, atque apud eos hoc vocabulum, tam in bonam, quam in malam partem accipitur. Sed antiquissima ecclesiasticorum scriptorum consuetudine, vox hæc male sonat, et significat voluntarium errorem intellectus Christiani hominis in fide cum pertinacia voluntatis. Ergo non omnis error statim aliquem hæreticum facit; sed tantum qui in fide, et qui cum voluntatis pertinacia conjunctus est (1).

(1) Huc sane spectat illud Augustini: *errare possum, sed hæreticus non ero*; quia scilicet pertinax in errore non ero, sed eum cognitum statim abjiciam, meque in Ecclesiæ sinum conjiciam.

2. Fides, quam omnes sequi debemus, est fides, quam sequitur Ecclesia catholica, quamque ipsa omnibus credendam proponit. Nam ei creditum est doctrinæ depositum, et ideo quidquid ipsa probat, probandum omnibus est, rejiciendum vero quidquid eadem rejicit (1). Sæpe novi exoriuntur errores, qui fidem infuscant, atque homines abstrahere à veritate possent, nisi præsto esset certum, fixumque judicium, quod fallere, et